

OCTOBER

Die 9 Octobris

S. Abraham, patriarchæ
(Memoria)

Ant. ad introitum

Abraham magnus pater multitūdinis géntium, et non est invéntus símilis illi in glória, qui conservávit legem excélsi.

Collecta

Deus, qui in præmium fidei Filium tuum Unigénitum ex sémine Abrahæ mundo nasci prómisísti,
concéde, propítius,
ut fide, quam in baptismo suscépimus,
in nobis usque ad mortem per caritátem operántem,
cælo nasci mereámur.

Per Dóminum.

LECTIO PRIOR (propr.)

«*Fide obtulit Abraham Isaac*»

Lectio Epistolæ ad Hebraeos

11, 8-12. 17-19

Fratres :

Fide vocátus Abraham oboedívit in locum exire quem acceptúrus erat in hereditátem, et exívit nésciens quo iret.

Fide peregrinátus est in terra promissiónis tamquam in

Sir 44, 20

aliéna, in cásulis habitándo cum Isaac et Iacob, coherédibus promissiónis eiúsdem; exspectábat enim fundaménta habéntem civitátem, cuius ártifex et cónditor Deus.

Fide — et ipsa Sara stérilis — virtútem in conceptionem séminis accépit etiam præter tempus ætatis, quóniam fidélem crédidit esse qui promiserat; propter quod et ab uno orti sunt, et hoc emórtuo, tamquam sídera cæli in multitúdine et sicut haréna quæ est ad oram maris innumerábilis.

Fide óbtulit Abraham Isaac cum tentarétur, et unigénitum offerébat ille qui suscéperat promissónes, ad quem dictum erat: «*In Isaac vocábitur tibi semen*», arbitrátus quia et a mórtuis suscitare potens est Deus; unde eum et in parábola reportávit.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Lc 1, 69-70. 71-72. 73-75 (R.: Ps 39, 8a. 9a)

Ry. Ecce vénio, Dómine, ut faciam voluntátem tuam.

- 1 Eréxit cornu salútis nobis
in domo David púeri sui,
sicut locútus est per os sanctórum
qui a sæculo sunt Prophetárum eius. Ry.
- 2 salútem ex inimícis nostris,
et de manu ómnium qui oderunt nos:
ad faciéndam misericordiam cum pátribus nostris
et memorári testaménti sui sancti. Ry.
- 3 Iusíurandum quod iurávit ad Abraham patrem nostrum,
datúrum se nobis

ut sine timore, de manu inimicorum liberati,
serviamus illi in sanctitate et iustitia coram ipso
omnibus diebus nostris. R.

ALLELUIA

R. Alleluia. V. Abraham pater vester exsultavit ut vidéret
diem meum, et vidit et gavíus est.
R. Alleluia.

Io 8, 56

EVANGELIUM (propr.)

«Antequam Abraham fieret, ego sum»

† Lectio sancti Evangélii secundum Ioánnem 8, 51-59

In illo tempore :

Dixit Iesus Iudaeis: «Amen, amen dico vobis: Si quis sermónem meum serváverit, mortem non vidébit in ætérnum». Dixérunt ergo Iudei: «Nunc cognovimus quia dæmonium habes. Abraham mórtuus est et Prophétæ, et tu dicis: Si quis sermónem meum serváverit, non gustabit mortem in ætérnum. Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mórtuus est? Et Prophétæ mórtui sunt: quem te ipsum facis?».

Respóndit Iesus: «Si ego glorifico me ipsum, glória mea nihil est; est Pater meus qui glorificat me, quem vos dícitis: Deus noster est; et non cognovistis eum, ego autem novi eum. Et si díxero: Non scio eum, ero símilis vobis, mendax, sed scio eum et sermónem eius servo. Abraham pater vester exsultavit ut vidéret diem meum, et vidit et gavíus est».

Dixérunt ergo Iudei ad eum: «Quinquaginta annos nondum habes et Abraham vidísti?»

Dixit eis Iesus: «Amen, amen dico vobis: Ante quam Abraham fieret, ego sum». Tulérunt ergo lápides ut iácerent in eum, Iesus autem abscóndit se et exívit de templo.

Verbum Dómini.

Super oblata

Hæc hóstia, Pater clementissime,
spíritu filiorum adoptiónis nos répleat,
ut beáti Abrahæ orationem imitántes,
in peténdis donis tuis íterum atque íterum
instáre non vereámur.

Per Christum.

Praeferenda est prima prex eucharistica quia bic patriarcha nominatur in oratione: Supra quæ propitio.

Ant. ad communionem

Iac 2, 23

Crédidit Abraham Deo: et reputátum est illi ad iustitiam, et amícus Dei appellátus est.

Post communionem

Mysteriorum tuórum, Dómine, sancta percéptio,
illum nobis fidei et oboediéntiae spíritum infúndat,
quo pater géntium amícus tuus méruit appellári.
Per Christum.